

CAPVT XI.

De Vertigine.

Simili lapsu omnia confunduntur in causa vertiginis, quæ duplex est, à cerebro & ab oculis: quædam etiam ab utroque. In ea quæ à cerebro, videtur hominutare, & casui proximus est: fitque à tenui vapore, ut comitialis à crasso. Sed quæ ab oculis, rursus duplex: vna in qua

omnia circumuerti videntur, alia in qua obscurari & obtenebrari cuncta. In eâ enim quæ à cerebro, est spiritus animalis qui corpus regit, circumagitur, non tamen ad oculos transfertur. Fit etiam utrumque genus trifariam; à ventriculo, à cerebro, à venis ac quasi à toto corpore, & forsân etiam à corde seorsum. Ut ergo computentur genera XXI. quorum sunt diuersæ causæ morbi & sanitatis. Distinguit autem eam quæ à cerebro est, ab utraque oculari aduentus: nam primo proximè videntur casui, inde vitatur vis visua.



LIBER OCTAVVS

PARALIPOMENON.

De astrorum & temporum ratione
& diuisionibus.

CAPVT I.

De annorum diuisione.

ginti in dies colligantur, eruntque decem octo in anno: ut sint trecenti sexaginta. Quartus quisque annus continebit trecentos octuaginta decemque ac nouem series dierum viginti, vocabitur æqualis ut priores deficientes. Centesimo autem anno qui perfectus appellabitur, dabimus vicies viginti, diesque quadringentos. Quingentesimo quoque anno, quem appellabimus abundantem, viginti vnam seriem dierum viginti, eruntque dies in eo quadringenti & viginti. Annum autem duodecies millenium dicemus plusquam perfectum: constabit enim ex viginti duabus seriebus, continebiturque annus ille qui circuitum absoluet, Quadringentis quadraginta diebus. Ita primùm ordo hic perpetuus erit, aut quantum humana condicio recipit. Erunt enim dies in vno perfecto circuitu annorum duodecies mille MMMMCCCLXXXII DCCCC, quos cum diuiserimus per XII, prodibunt dies CCCLXV, horæ V, minutia XLVIII, qui est circuitus nostri anni. Anticipabunt etiam tempora æqualiter, nisi quod circa finem tot annorum anticipare poterunt diebus ut liquet ferme LXXV. Præterea æqualitas vbique perfecta inuenietur & certa ratio,

CAPVT II.

De Dierum diuisione.

IN diuisione autem horarum dici initium faciemus anni à die aliquo Sabbathi, ut si inchoemus anno MDLXV, in decima die Martij, & est Sabbathi: sed cum iam exactus sit dies bisexti, melius erit vt inchoemus ab anno, qui possit diuidi per quatuor, ut anno MDLXXVI: dies enim decima Martij est initium veris, & dies Sabbathi, & primus intercalarium, quoniam mense præcedente exactus est dies superabundans, & tunc poterit seruari ratio præcedens. Liuidemus ergo quemlibet diem cum nocte tota in partes octo, circuitum primum, ut post diem Sabbathi, sequetur dies Iouis, inde Martis. Et sciemus quâcunque horâ quis planeta dominabitur, nam quartâ die à Sabbatho regnabit Sol, nunc tribuitur Marti, & quinta hora ab ortu Solis æquali regnabit Iuppiter. Et ita sciemus de euentibus. Postmodum dabimus primam horam dici semper Soli, & diuidemus quâcunque diem in vndecim horas, quia est primus numerus post septem, in quo ascendendo perueniemus ad Lunam: vndecima enim hora quæ erit vltima diei, perueniemus ad Mercurium, & duodecima quæ erit prima noctis ad Lunam: noctem autem eadem ratione in horas decem, & ita perueniet regimen ad solem vndecimâ horâ. Exemplum; perueni ego Bononiam anno MDLXII, Die Quintadeima Nouembris, sub fine tertiaz horæ æqualis diurnæ: Et manifestum est, quod

quod fuit dies Iouis ex ratione dicta. Ideo duxi tria in octo, numerum horarum tertius diei cum nocte æqualium, quæ diuisi per viginti quatuor, & prodiit vnum: fit igitur tunc finis primæ horæ, & regimen rediit ad Iouem. Duxi etiam tria in vnde- eim, & facta sunt triginta tria diuisa per nouem min. octo, prodiere tria cum besse: fuit igitur hora quarta Saturni. Ergo totum regimen fuit apud Iouem & Saturnum, significans diuitiarum & honoris causâ. Sed de exitu vide illorum statum: Et Iupiter qui est primus dominus, fuit in dignitate sua, sed in sexto loco: Sol verò cum corde Scorpij. Sed Luna fuit cum Saturno & cauda, & hoc est pessimum: quo ad reliqua omnia & maximè quia erat in septima, & indicat casum aliquem repentinum, valde malum, quem Deus auertat. Sed quod ad rationem illam omnia sunt optima. Et Venus est in ascendente cum capite Draconis, & in opposito Saturni Lunæ & caudæ.

CAPVT III.

Miracula suppositionum.

Illud sanè pro miraculo habendum, quod falsis cum suppositionibus atque absurdis, ratio motus astrorum ad eò ad amissim feruetur, vt vel in pluribus sæculis vix momento aberrent. Qui quidem error etiam ex instrumentis & diuersitate aspectuum originem habent, non dico diuersitatem nunc Mathematicâ, quæ in Sole vix percipitur, in his quæ supra Solem, nulla videtur profus: sed quæ contingit ratione mediorum inter sydus & oculum. Instrumenta autem quantumuis exacta, non exquisitius quàm ad decimam partem vnus gradus peruenire possunt: nam maxima instrumenta diuidi solent; cum in plures, solum inter mille ac sexcentas partes. Et tamen Ptolomeus supponit paruos orbes in Cælo, atque eos qui neque etiam circa proprium centrum æqualiter moueantur. Insuper & Veneris sphaerulam talem, quæ terræ globum in se contineat: ad eò absurdæ sunt suppositiones. Copernicus autem cum supponat orbem Lunæ, atque in eo elementa ipsa, cum terra velocissimè circumagi solem, tantum abest vt aberret in tabulis, vt experimentis quæ per instrumenta fiunt, propius accedat, ad eò vt tabulæ illæ tum maximè in Mercurij & Saturni ac Martis motu, sint longè meliores. Id contingit, quoniam suppositionum Mathematicarum est vicissitudo, vt etiam in Arithmetis apparet. Vnde manifestum: quod si quis perfectam possideret rationem, circuloꝝ veritatem assequi posset. Sint enim A. B. C. D. E. quæ idem possunt, & experimentis satisfaciunt: B quia ergo hæc possunt quod F (gratia C F exempli) & conuertuntur in quouis D G spacio annorum; non ergo F poterit E

Tom. X.

fumi alio modo: nam si possit, sumatur G. Et quia G satisfacit F, igitur conuertetur cum singulis A B C D E; igitur non erant assumpta omnia, quæ inter se conuertebantur. Ex his igitur quia F à causa prouenit naturali, necesse est vnum esse naturale, quare illud est vera causa F; latent igitur solum ob id, quod non perfectâ habeamus Mathematicâ. Sed Copernici opinio præter exquisitam rationem supputandi id habet, vt conferuet perpetuâ æqualitatem motuum orbis cuiuslibet, circa centrum proprium, quod etiam animaduertit bene Ludouicus Ferrarius, de quo aliàs. In vniuersum quæ maximè absurda sunt, ea, quasi in circulo res ageretur, propius ad veritatem accedunt. Hoc igitur magnum miraculum fuit humanæ solertiæ, per falsas suppositiones veritatem in motibus stellarum supputandis inuenire.

CAPVT IV.

De vita circuitibus.

Tota vita nostra circuitibus quibusdam constat, quos Astrologi vt reliqua omnia in astra referre conati sunt: sic vt primus circuitus quadriennio constaret, Lunæque tribueretur: secundus decennio, tribuereturque Mercurio; atque ita de reliquis. Sed non constat hæc ratio in omnibus, neque in maiori parte, nec est circuitus appellandus sed pars vitæ. Voco circuitus, quod annis aut mensibus quibusdam, aut vtrisque, constat tempus, quod per similia progreditur: primum velut totus morbosus, prosper, vel ad honores ac istiusmodi licet modò maiores & euidentes, modò languidi & interquiescentes, sed tamè vndequaque sibi similes, & eunde tenorem seruantes. Deinde quod ipsi inuicem comparati, licet non æqualis, sed alij (gratia exempli) septem mensibus constant: alij decem & septem annis, & viginti aut triginta, aut similes sunt, aut contrarij, vt in vno cuncta feliciter succedant, in alio contrario modo. Et quandoque in eodem genere vt morbi & sanitatis: quandoque diuersis vt morbi & carceris, vel morbi & multitudinis filiorum. Et præter id accedit, quòd omnes hi circuitus similitudinem quandam ad originem seruant: velut mihi omnia laboriosa, & mista bona malis, & mala bonis: atque eiusmodi. Demum quòd fines habent ferme vndequaque similes initiis suis, vt initium habeant à leuibus & languidis, bonis seu malis, & in eadem finiuntur. Et sunt vmbra quædam illorum in ætatibus generales, vt vsque ad septem annos dentitio, ad quatuordecim Venerea: ad viginti vnum incrementum in longum, ad vigesimum octauum in latum, ad triginta quinque roboris: inde proceditur per incrementa, seu velis vt vsque quadragesimum secundum consistant

P P p omnia

omnia, ad quadragesimum nonum occultè minuuntur : ad quinquagesimum sextum prudentia augeatur , ad sexagesimum tertium stet , ad septuagesimum occultè minuat , ad septuagesimum septimum aperè decidat , ad octuagesimum quartum vires , scientia , prudentiaque corruant. In bene tamen educatis ac temperatis remanent , velut vestigia languidæ virtutis , & rectè viuendi normæ , velut in Theophrasto, Iocrate, Gorgia Leontino. Alij vmbrales sunt in fortuna , velut qui per decimum nonum annum terminantur : in quibus quod Luna ad eundem locum redeat , quædam & euentiora similia accidere solent. Pereunt autem omnes in circuitibus malis , & in initio , & medio , & fine , iuxta naturam circuitus. Et cum circuitus similes sunt , & vehementes , paruique , complent magnorum decreta maxima ; accidunt lucus , mortes , exilia , paupertates , inimicitia principales , dedecora. Et maximè cum natura rei conuenerit ætati , vt honores iuuentuti , morbi senectæ. Et forsan hoc idem est in regnis , sed longius est : Et causa eorum est illud , quod nobis & ex causarum concursu decretum vnicuique est.

CAPVT V.

De Loco & circuitu Saturni.

ET comprehensum est ex tabulis Prutenicis, & obseruatione planetarum, quod locus Solis euariat per vnam fermè partem, quia eentrum eccentrici ascendit & descendit, idè æquatio variatur, & hoc in reditibus, quoniam Sol non peragit partem vnam, nisi in vna die: si fuerint minutia tantum quinque erroris, erunt duæ horæ, in quibus ascendit totum vnum signum, & plus etiam. Et idè errabimus secundum opinionem eorum, qui reditus staruunt non per signa æqualia. Et in Mercurio accedit ad duodecim partes, & in Marte ad quinque: Sed in Saturno ad duas penè, & obseruabimus hoc anno, die XXVI. Ianuarij, cum iuxta tabulas Alphonfi deberet per regressum fieri coniunctio Saturni & Iouis, in quinquagesima minutia partis primæ Leonis quod Iupiter erat propè locum, quæ scribitur in Ephemeride. Sed Orientalior ac borealior Saturno, & borealior quidem bessè vnus partis: Orientalior autem penè duabus partibus, adè vt propè mediam noctem, videretur Luna constituta cum illis triangulum isocalem, sed, verè etiam videbatur Luna magis distare ab vtroque, imò à Saturno, quàm Saturnus à Ioue, adè vt Ephemeris Prutenica vera sit.

CAPVT VI.

Non ortum sed generationem attendendam esse.

DVbitatum est à sapientibus an futura præuideri ex astris possint? Mihi hic de hoc propositum non est disputare, cum argumentum operis ab hac tractatione contentiosa abhorreat. Vnum sat dixisse sit, si vera sunt quæ de oraculis feruntur, non ortum sed generationis tempus obseruandum esse. Quippe referunt Laio nondum nato filio, responsum, quod patrem occisurus esset: vnde illum exposuit & fatris crudeliter, appensum à pedibus arbori: Et Cratino, quod Siculis & Carthaginensibus, quem in vtero gerebat vxor, magnas esset calamitates allaturus. Itaque & ille expositus, & custoditus tamen euasit, Agathoclesque vocatus est à materni aui nomine. Sed id de Oedipo supra fidem omnino est; At hoc idè Agathocle etiam difficile creditu. Fieri potest aliquid prædictum, sed auctam fabulam quod expositus fuerit, ad augendam spem cum illo sententium, terrendosque hostes: nam huiusmodi scophantij tota illius vita plena fuit, quemadmodum & multorum aliorum, qui ex humili loco ad magnam fortunam euecti sunt. Sed si modo ea Fati cura fuit, nam aliquos fuisse credo ex generatione ipsa potius, quàm ortu: aut alia quauis via diuiniore ortum habuit.

CAPVT VII.

De Eclipsibus.

SÆpe contingit, vt ante Eclipses præcipuè Lurares magnæ pluuiæ decidant, interdum magnæ siccitates: quandoque plumbea tempora, atque huiusmodi immoderata, quæ nonnunquam quindecim ante diebus incipiunt. Causa est, quod cum in futura coniunctio Eclipsis Solis futura est in oppositione præcedente, circiter dies quindecim futuram eclipsim, aut per totidem dies ante lunæ eclipsim, in coniunctio Luna est propè viam Solis quandoque, imò persæpe valde. Cum ergo plena luminibus iam propè eclipsim rursus redeat in viam Solis, à terra per tres dies parum abest, necesse est accedente, fieri eò maiorem constitutum, quod Luna viæ solis proximior fuerit. Contingit autem in magnis obseruationibus, fieri quandoque minorem effectum, & iure, cum Luna longius ab ea via absit: exiguum enim interuallum multum facit. Sed & Domini locorum, & loci densitas vt stellæ quibus obuiat luna, plurimum faciunt. Hæc itaque causa est, dum accedente Luna ad eclipsim

eclipsim aër hæc patitur, non quia eclipsis imminet, sed quoniam dum futura est eclipsis, necesse est ante dimidium mensis, & propè illud tempus, Lunam esse propè viam Solis, & accedere magis ad eam, & vacuam esse luminibus aut plenam. Cùm ergo hæc tria contigerint propter eclipsim, & propter eadem temporis constitutio, existimari poterat hæc euenire propter eclipsim imminentem atque venturam: Obseruare autem oportet non solum eas, quæ fiunt supra terram, sed etiam dum eclipsantur, luminare quod sub terra fuerit: nam si oppositiones & coitus luminarium factæ sub terra, mutant aërem adedò manifestè, vt parum differre videantur ab his, quæ supra terram fiunt, cur in deliquijs non idem est existimandum.

CAPVT VIII.

De Fortuna hominum & varietate.

Et etiam illud consideratione dignum, de quo multi dubitarunt: scilicet an ex astris pendeat fortuna & exitus hominum. Equidem vt dixi, non ita vt à Fato secernantur: neque enim Mercurius Lunæ iunctus, huic vel illi præstabit, vt aiunt, ex oratoria arte; sed cum velut hypomochlion sint astra ex minima variatione, magnæ accidunt diuersitates: præsertim ob astrorum ad nostra corpora & fortunas comparationem. Sed velut duobus natis vno ex rustico, altero ex gnauo patre: illi quidem ob natalium humilitatem, paupertatem, educationem, ferrox animus & strenua opera efficiunt latronum ducem, non tamen fortem, sed calidum, audacem, formidabilem, qui post multas cædes & flagitia, raptus virginum, pœnas pauper publicè luat; hunc verò ducem militum in stabili fortuna colloquet, qui vel in lecto suo moriatur, aut in prælio diues, cum filijs, stirpe insigni; ita in reliquis exiguis momentis, res hominum, ingenia, fortunæque distinguuntur. Ita & regiones, & ætates, & leges ac consuetudines, ac ritus, euariant singula, vt quidem genijs nobis nota esse non possint. Sunt igitur non semina tantum, non causæ; sed violenta vniuscuiusque rei initia. Nascitur ergo Rex & municipij sui primarius eodem momento, quin etiam multò honoratior hic, quàm ille constellatione; nam huic parent natu maiores & potentiores, vtrò illum despiciunt etiam cum tot satellitibus subditi: imperabit tamen Rex ille despectus honesto rustico, & occidet, quoniam generalis ordo propriæ genituræ præualet. Ita omnia metiri oportet, & vt iniuncta pleraque obseruare. Neque finem proponi quisquam opinetur, sed tantum media: velut ferociam, iustitiam, crudelitatem, libidinem atque huiusmodi: tum verò & ad hunc hominem, & hanc prouinciam, & tempus, & familiam, sympathiam &


Tom. X.

antipathiam, vt ad eum qui Martem habet in opposito aphetæ, vt occidatur ab eo, & ad eum qui habet Saturnum in oppositum bonæ fortunæ, vt vituperetur ab eo, & detrimentum patiatur, & à Iudice extorquendo à milite per vim, ab inope per furtum. Commiscetur ergo iudicium vnum per tres differentias, cùm sit idem, iuxta connexas qualitates; velut dolus cum impudentia & ira ad perniciem deducit, cum blanditijs & liberalitate ad opes: vterque dolo lucratur, sed vario modo ob reliquas animi conditiones, & per comparationem ad subiectum in debili, robusto, diuite, paupere. Latrocinia Regum laudamus & veneramur, pauperum longè minora, atroci morte & magna cum detestatione punimus. Ita nobilis aut sapientis ac reliquorum: Et per comparationem ad religionem, legem, locum, consuetudinem, & homines ipsos. Qui ergo hæc teneat, Fatum habet extra omnem vim altorum, cuius signa alia sunt, & per alia.

CAPVT IX.

De diebus solstitiorum.

Magna vis proculdubio Solstitiorum: de ea nunc mihi sermo est, quæ est manifestissima; non de illis prodigiosis, quod alia floreat, alia folium circumvertant, nam de his alio loco tractatum est. Sit ergo circulus A B, cuius pars nobis propinquior A B, remotior C D in eclipptica paralleli, dum Sol transfit ex A in B



E, & ex C in D H: dico quòd in die solstitij necesse est mutari valde calorem, aut frigus, & longè magis quàm in antecedentium dierum vllò & sequentium: in sequentibus autem magis quàm antecedentibus sumatur. Ergo arcus æqualiter distans à solstitijs F & G, quem Sol perambulat in reuolutione parallelorum E & H, & sit locus noster K: quia ergo in arcu A B quælibet puncta æqualiter distant à puncto K, in eadem die est ac si Sol moueretur solum per A G, vel H F: igitur dimidio tardius eâ die quàm reliquis, sed res immota vt calefacit, calefacit vehementius, & vt non calefacit, minus calefacit immota; igitur in vtroque die solstitij tantò magis augebitur calor

PPP 2 aut

aut frigus, quāto portio A B comprehensa maior erit in comparatione ad totam diem, ab ortu solis ad ortum, in quo comprehenditur punctum solstitij. Et hæc permistio fit varia, ratione totius diei naturalis, in qua extremæ partes æqualiter à solstitijs differunt, sed originem non semper habent hi dies ab ortu solis, nisi raro. Ergo ex his duabus proportionibus, tertia conficitur, vt sit cum valde propè fuerit, etiam valde propinqua duplæ. Secunda causa est, quod vt demonstratum est à Gēbro, & inde à Ioanne Montereio, arcus quem peragit Sol in diebus parallelorum, E & H non variant declinationem, nec minuto vno, imò ne medio quidem: igitur in totis parallelis circulis ad sensum fertur: Cumque nos quasi in centro simus, comparatione paralleli, non declinationis à linea, quæ à centro terræ ad nos, sequitur vt hoc etiam secundo modo sol quiescere videatur. Idèd calor & frigus augetur. Tertia causa est communis omnibus diebus, qui sunt post solstitium: vsquequo declinatio manifestè variatur, quàm accidit post XX. dies à solstitij die, tunc enim augetur sexta parte vnus gradus: sed cum proportio fuerit eadem semper in maioribus quantitibus, maior fit excessus & minus diminuitur proportio, quàm excessus augetur; excessus est coaceruatus ex pluribus proportionibus, ergo ad multos dies necesse est magis intendi calores & frigora, licet sol sit magis propal à solstitijs, quàm ante solstitia, cum iam propè sit.

CAPVT X.

De numero stellarum.

STELLAS insignis magnitudinis quæ videntur, Ptolomeus statuit MXXII, atque in his adnumeratur Canopus, qui ab Antartico distat partibus XXXVIII. isque videtur in Alexandria, à nobis non videtur: duo alij etiam apparent Antartico propinquiores, cum XIIII. stellis lucidioribus, vt Americus Vespucius affirmat se vidisse, sed sit summa earum LXXXII: erunt igitur stellæ omnes quæ in cælo videntur numero mille & centum. At cum cælum est serenum, multò plures videntur vno intuitu, quæ sunt minutissimæ, ideo numerus earum referri non potuit. Non ergo sic intelligendus est Ptolemæus vt tot solùm videantur stellæ, nedum vt sint, sed insignis magnitudinis: namque videntur etiam apud nos vno intuitu, multò plures sunt quinque millibus, sed partim effugiunt visum, partim non diu subsistunt: aut paucis, quorum videndi acies non solum acuta est, sed firma. Eiusmodi ergo est stellari orbis conditio: quæ verò insignis sunt magnitudinis, in sex ordines


diuiduntur. Verùm vt ad coniecturam redeam, altitudo XXXI. est semicirculi paulò maior pars sextante, & dimetiens magnitudinis erit partium LXII: dimidium XXXI, quadratum DCCCCLXI: igitur minor pars dimetiens spheræ in quam cadit, est minor partibus IX, cuius quadratum est LXXXI: igitur latus descendens est XXXII. cum tribus partibus ferme ex decem. Etenim area est MXXLI. igitur proportio totius circumferentiæ ad illam partem vt quadrati CXX. & est XIV. MCC ad MXXLI, idest vt XIV ad vnum: residui ergo ad partem illam velut XIIII ad vnum. Sunt autem vt dictum est in nostro orbe ad altitudinem poli XXXI. partium sub finitore, Alexandria Ægypti notæ stellæ insignis magnitudinis MXXII. tertiadecima pars MXXII est LXVIIII, quæ additæ ad MXXII efficiunt stellarum insigniorum totius cæli ferme numerum MC: provt dictum est: omnium autem quæ videntur plusquam decem millium: numerum autem earum quæ sunt in eo Octauo orbe, vel si supra etiam sint aliæ, quæ ex incorporeo orbe sunt, norunt. Nugantur ergo Philosophi manifestè, dicentes: si aliquid à nobis esset, quod cognosci nequiret, superfluum futurum; cum in hoc solo ordine penè sint infinita, atque ex ordinibus totidem etiam aut plura.

CAPVT XI.

De cubiculo Orientem excipiente.

OMNES orientis oram vt salutarem præponunt tam in regionnm situ, quàm ventis & aquarum exortu, ac cubulis, quod & facillimum est, & vtile admodum hominibus: nemo tamen modum definiuit, vel in hoc, vel in illis, cum Vitruuius rem attigisset in 6. & 9. libro cap. 5. & 9. seu quod alterius argumenti res videretur, seu quod ardua nimis: nobis verò eam aggredi volentibus, id primum quod in libro de proportionibus propof. 130. cum octo antecedentibus scriptum est, attingere necessarium erit. Est autem: *Data regionis altitudine, & solis loco proportionem gnomonis, tam ad umbram rectam quàm versam, vel etiam in cylindro determinare.* Sit ergo vt in Horizonte data altitudinis ABCD, Meridianus ac æquinoctialis BD, Tropicus Canceri seu æstiuus FG, hyemalis HK: circulus per centrum mundi & verticem nostrum, vt demonstratum est in eodem libro, transiens per puncta BD, communia æquinoctij circulo & Horizonti ELMNO. Dum ergo sol erit ABFB vel DG, orietur Sol à parte Boreæ. Cognito ergo loco Solis habebimus horas diurnas

diurnas tam æstate quàm hyeme : quam tertiam partem ab ortu , dum Sol



est in BF vel DG dabimus orienti , in æstate autem dabimus quartam partem solùm horarum inæqualium eidem Orienti , & figemus locum ingressus in cubile , dum Sol est in punctis FBH & GDK , ducemusque lineas per illa tria puncta ex parte orientis , & in æstate per finem tertiar horæ inæqualis , quando locum irradiat sol , & in hyeme per finem quartæ horæ inæqualis , tam in plano quàm pariete ad Orientem respiciente , & fient duæ lineæ conicis sectionibus quasi similes , quarum quæ in pariete erit , fenestrar terminos clauder ; & eadem iungetur ad vnguem ei quæ est in plano si-

niens eandem fenestram : ita tamen vt planum non solùm solo , sed superficies solo æquidistans intelligatur ad altitudinem surculæ pectoris hominis , vbi inum fenestrar inchoare solitum est.

Et quoniam amplectetur partem Boreæ , vt visum est , tantundem ferme relinquet in hyeme , ideo & pars illa versus Boream altior aperta erit , & clausa humilior ad meridiem , atque sic rationem ventorum seruabit. Oportebit etiam decorem addere : tum valuis fenestrarum ad temporum vicissitudinem accommodatis , vt tam æstate quàm hyeme , & aperta & clausa pro opportunitate sit , & nihilominus quadrata semper appareat. Meminisse præterea oportet earum partium , quæ dum Sol ascendit aut vltra diei horam quartam hyeme , seu tertiam æstate illustrat. Vbi enim primum cæpit illustrare , concludenda est fenestrar amplitudo & à meridie , idest versus se & ab humili sede , vt solùm locus orienti pateat. Præterea etiam vbi Oriens in aliqua regione multum pater , præcidendi limites vtrique scilicet Orienti & Meridiei communes , vbi angustum aperiendum , quicquid à Sole ad eam vsque horam illustratur , scilicet tertiam æstatis & quartam hyemis , etiam si post illam accedente ad Meridiei circulum Sole locus illuminetur. Magis autem meridiem versus admittendus est locus , quàm in infima parte : cum tamen ex illa nihil omnino prætermittendum sit , quod à Sole illuminetur horis Orienti dicatis , vt non pateat.